

Lege quæ in Geometria practica lib. 4. ca. 2. num. 5. & lib. 6. propol. 21. scripsimus. Ibi enim reperies rationem facilem extrahendi radicẽ quadratam ex qualibet minutia non quadrata.

EXTRACTIO RADICIS CUBICÆ.

Caput XXVIII.

Numerus
Cubus
quid.

CVbus est numerus qui ex aliquo numero in se ipsum multiplicato, deinde in productum gignitur, qualis est 8. qui ex multiplicatione numeri 2. in se ipsum, & in productum numerum 4. producit. Item 27. qui producit ex 3. in se, & in productum 9. Item 103823. quia gignitur ex 47. in se, & in productum 2209. &c. Vnitas quoq; ab Arithmetice numerus cubus, licet improprie, nominatur, propterea quod ex 1. in se, & in productum 1. producit. Numerus autem, qui in se multiplicatus, & in productum, cubum procreat, vocatur latus, siue radix cubi.

Extractio
radicis cu-
bicæ qd.

Extractio igitur radicis Cubicæ ex dato numero est inuentio numeri qui in se primùm multiplicatus, deinde in productum procreat datum numerum, si cubus est, vel si nõ est cubus, maximum numerum cubum in eo contentum. Vt extractio radicis cubicæ ex numero 59319. est inuentio numeri 39. quia hic in se ductus, & in productum 1521. gignit numerum 59319. propositum. Item extractio radicis cubicæ ex numero 116592. est inuentio numeri 48. quia hic in se ductus, & in productum 2304. producit numerum 116592. qui est maximus cubus